Dissertatio medica inauguralis, de phthisi scrofulosa pulmonum ... / Eruditorum examini subjicit Joannes Humberston.

Contributors

Humberstone, John
University of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Adamus Neill cum Sociis, 1793.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ed3xxnyt

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Phthiſi Scrofuloſa Pulmonum.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

Phthisi Scrofulosa Pulmonum;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.T.P.

Academiae Edinburgenae Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES HUMBERSTON,

CAMBRO-BRITANNUS,

SOCIET. REG. PHYS. S. H.

Non est in Medico semper relevetur ut aeger;
Interdum docta plus valet arte Malum.

OVID.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31966172_0002

FOSTER CUNLIFFE,

Equiti Baronetto,

de ACTON PARK,

in Comitatu DENBIGH,

Benevolentia

et

Morum Probitate

conſpicuo,

Haſce Studiorum Primitias

ſacras eſſe vult

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Phthiſi Scrofuloſa Pulmonum.

INTER varios morbos quibus affligitur genus humanum, funeſtior non extat alius, quam is, ad quem diſſertatio noſtra reſpicit. In eo, varia occurrunt ſymptomata, non ſolum effectibus primum in corpus editis moleſta, ſed quae, ob ſequelam, omnino ſunt timenda; quippe quae, aegrum vel cito proripere fato, vel lento morbo conficere poſſunt.

Phthifis,

——— " Labes qua ſaevior uſquam
" Nulla fuit, nulla unquam aliis ſpectabitur annis."

flore aetatis mortalibus obrepens, ſanitatem tacito, ſed certo ſubruit pede, dum luxuriante animo, et vigente corpore, talis parum forſan expectaretur hoſtis.

Structura hominis perſpecta, curam, quam ei intendit ſummus rerum opifex, ordinemque, quo varii in corpore motus perficiuntur, perpendens ſibi fingeret aliquis, machinam animalem, " arte prorſus divina fabricatam," ad ſanitatem perfectam, praeſertim florente juventa, fruendam, et conſervandam, quam maxime eſſe idoneam. Et, ſi quidem homines naturae legibus eadem obtemperent alacritate, qua, voluptatis illecebras captant, ex aliqua parte ſaltem, ſe ita haberet res. Oeconomia vero animalis, a viribus ipſis, quibus ad varia opera fungenda idonea redditur, certas mutationes patitur, quae, citius aut ſerius, eam

in

in priſtina elementa, ex neceſſitudine reſolvunt.

Luxus nocentes, ad quos perſequendos ſe indies accingunt plerique, mutationes eas, quas, ſanitatem corporis reſpiciens Natura expleri juſſit, non ſolum inordinatas reddunt, ſed etiam morbos in corpore gignunt, qui, paulatim ſanitatem minuendo, ante diem ad fatum homines perducere poſſunt, ad quod, pro Naturae legibus, eos ſemper vergere videmus.

Vitae genus, quod homo degit, ad corporis proclivitatem in morbos incidendi adaugendam, vel ad vires ejus in his repellendis corroborandas, multum conferre, ſatis notum eſt; nec in ullo forſan exemplo, clarius conſpicitur hoc, quam in morbo, de quo hic agitur. Attentione enim ad vitae genus debita, multas Phthiſeos cauſas, aliquatenus ſaltem, ſi non ex toto, vitare poſſemus, ut poſtea fuſius dicetur. At nunc, ad cauſas varias, quae vel

proclivitatem

proclivitatem ad Phthiſin faciunt, vel in corpore opportuno facto, eam excitare poſſunt, enumerandas, ſine mora memet aggredior.

CAUSAE REMOTAE.

Hae, ut loqui ſolent medici, in Praediſponentes, et Excitantes dividuntur.

Ad praediſponentes, quae, certum ſtatum inducendo, corpus actioni excitantium opportunum reddunt, imprimis noſtrum attendemus animum.

Cauſae quae ad Phthiſin proclivitatem faciunt, ad capita ſequentia reduci poſſunt; ſcilicet, ad *Temperamentum certum*,—ad *Formam*,—*Aetatem*,—vel *Anni Tempeſtatem*.

Ad *Temperamentum*.—Nonnullos videre licet homines, qui temperamento certo, et conſti-

tutione

tutione corporis gaudent, ſingularibus dignonoſcenda ſignis.

In his depingendis, nitidiore, vel magis concinno ſermone uti non poſſumus, eo, quem adhibuit eruditus GREGORIUS, de hac re diſferens: " Temperamentum ſanguineum,' ait ille, " dignoſcitur, conſtitutione corporis ple-
" niore, compagine molliore, cute delicata,
" tenui, molli, calida, venis magnis, conſpi-
" cuis, caeruleis, eximio vultus colore, capil-
" lis rufis, aut flavis, aliquando nonnihil
" fuſcis. Homines tali conſtitutione prae-
" diti, praeter ordinem ſentientes et irritabi-
" les obſervantur, et pulſus habent ſolito fre-
" quentiores, et ſanguinis motum liberum,
" et ſecretiones et excretiones fere copioſas,
" raro obſtructas, et animum plerumque hi-
" larem et laetum, aliquando levem: nam
" animi, non ſecus ac corporis varietates, a
" Temperamento ſaepe pendent *." Affectio-

nes

* Vid. GREG. Conſpect. Med. Theoret. *tom. ſecund.*

nes ſcrofuloſas, et phthiſicas, cum hoc temperamento ſe maxime conſociare, ſatis docet experientia.

Ad *Formam.*—Thorax minus capax, humeri prominentes, et coſtae depreſſae, ad homines ad Phthiſin procliviores reddendos, multum, ut obſervatur, conferunt. Talis enim ſtructura, ne libero per pulmones fluxu vehatur ſanguis, cavet; unde pulmones, caeteris paribus, nimio diſtenſi ſanguine, et nonnihil plethorici evadunt; quod, Haemorrhagiis, vel obſtructionibus, quae, quantum ad Phthiſin movendam faciunt, mox dicetur, originem praebere poteſt.

Ad *Aetatem.*—Cum intra annum decimum quintum, et trigeſimum quintum, hunc morbum in pleriſque exemplis accedere, plurimis confirmatur obſervationibus, inter cauſas ei faventes, haud immerito recenſetur haec.

CULLENUS

CULLENUS celeberrimus quidem, exempla nonnulla verae Phthiſeos in impuberibus, ſe vidiſſe memorat; ſed talia rariſſima eſſe notantur; et, ut unum vel alterum hujus exemplum, opinionem multa experientia validam ſubverteret, minime aequum foret.

Ad *Anni Tempeſtatem.*—Ineunte vere, vel finem autumni verſus, praecipue adoritur hic morbus. Viciſſitudines nimirum, quae tunc, tam frequenter ſe oſtendunt, corpus jam tenerum male afficiunt, et mutationes inducunt, quae, cauſas alias concurrentes, poſtea memorandas, efficaciores reddunt, et ſic morbo corpus opportunum facere poſſunt.

Cauſis jam enumeratis, alia adhuc addenda reſtat, quae ad Phthiſin proclivitatem maxime efficit; ſcilicet,

Labes quaedam haereditaria ſcrofuloſa. Haec a parentibus, cum poſteris communicata, corpori inhaeret, et medicorum fere omnium

nium conſenſu, Phthiſeos ortui maxime favet. Talem corpori ineſſe labem, ex hoc probabilius redditur, quod Phthiſis, non ſecus ac ſcrofula, eos, qui eodem temperamento, et forma eadem praediti ſunt, praecipue invadit; et, quod Phthiſis imprimis eos aggreditur, qui ſtirpe ſcrofuloſa orti ſunt, vel eos, quorum parentes, vel horum etiam majores, ſtruma laboraverunt.

Ab hac re parum attente conſiderata, vel prorſus forſan incognita, opinionem, Phthiſin nonnunquam cauſas fortuitas agnoſcere, nulla labe haereditaria praegreſſa, profluxiſſe, veriſimile videtur. Quod, ni multum fallor, vix evenire poteſt.

Nonnunquam in corpore latuit labes haec, nec, quibus certo detegi poſſet, ulla dedit ſigna. Sed, quamvis externis vix ſe protulit notis, interna depaſcens creſcit, rerum intus mutat faciem, et ſerius aut citius, morbos inducere poteſt; quod, ſectiones ſatis monſtrant.

Inciſis

Incifis enim tabidorum cadaveribus, eos tabe mefenterica fimul laboraffe apparuit. In aliis autem exemplis, in iis qui Phthifi laborant, tumores externi, manifefte fcrofulofi, obfervari poffunt; quae omnia nexum Phthifin inter et fcrofulam fatis probant.

Cum Phthifis per totam graffans domum, varios ejufdem ftirpis eodem tempore faepe tentet, eam idcirco a contagione ortum duxiffe, male quamvis, fufpicati funt nonnulli: A tabe haereditaria haec certe pendet; et caufis praedifponentibus rite perpenfis, morbum haereditarium effe intellectu parum difficile videtur. Cum enim parentem unum vel alteram plerumque forma externa proles referant, quo minus ftructuram fimilem internam habeant, nil obftare videtur; ideoque, eos conftitutionibus, et morbis iifdem fere ac parentes affici, nil mirum eft; enim, ut ait GREGORIUS celebris, "Sanus, fanam prolem, "morbofus, morbofam gignit."

Praeterea, Phthifin non nifi habitus certos invadere, multa docet experientia. Contagioni autem graffanti, tum fortes, tum debiles corpora obnoxia habent. Phthifis vero, eos qui compaginis funt mollioris, folos fere aggreditur. Quinetiam, morbi contagiofi, utrum felici, an infaufto terminentur eventu, brevi fpatio plerumque, curfum fuum explere folent.

Phthifis è contrario, a fex menfibus ad annum unum, vel alterum ufque, protrahi faepe confuevit. Quae omnia, ut hunc morbum pro contagiofo habeamus, manifeftiffime vetant.

CAUSAE EXCITANTES.

Ad caufas excitantes jam pervenimus, vel eas, quae in corpore opportuno facto morbum cient. Hujufcemodi funt, *Haemoptyfis*,—*Catarrhus*,—*Afthma*,—*Pneumonia*,—*Corpora Calcaria*,

caria,—Positurae Corporis nonnullae,—Fasciae Thoracem nimis arcte constringentes,—et Tubercula.

Haemoptysis.—A pubertate ad annum trigesimum quintum aut circiter, adoriri solet haec. Sed plerumque adolescentes ad acmen appropinquantes tentat. Plethora arteriarum corporis incremento maxime accommoda, tunc temporis praecipue locum habet; et vasa, ad ultimam fere magnitudinem, distendi videntur. Inter impetum vasa distendentem, et eorum renixum, aequatis viribus, aequilibrium inter aortae circulum et arteriam pulmonalem orietur. Ideoque, si circulus aortae, a quavis causa, vim justo majorem sibi acquirat, talem mutationem pulmones maxime affecturam, et in iis effusiones variis modis progenituram, constat.

Ad hoc quoque, magnopere confert prava thoracis conformatio. Pectoris enim capacitate,

tate hoc modo imminuta, vim multam, a ſanguine influente, pulmonibus arctius compreſſis illatam iri, neceſſario eveniet; et ab impetu ſanguinis in pulmonum vaſa irruentis, horum extremitates adeo dilatari poſſunt, ut ſanguis ab iis effundi, et ſic Haemoptyſis generari queat.

In plurimis autem Haemoptyſeos exemplis, ſuſpicanda eſt vaſorum ruptura. Ex hac, ulcus, puris formatio, et pulmonum demum conſumptio oriri periclitantur. Haec omnia, quando ad Phthiſin ſuſpicatur adeſſe proclivitas, ſemper metuenda ſunt.

Caeterum, Haemoptoën puram idiopathicam ad hanc movendam parum valere, omnes pro conceſſo habent.

Catarrhus.—Inter cauſas hujus morbi hic frequenter recenſetur.

Anni tempeſtates, quibus invadere ſolet Phthiſis, homines quam maxime Catarrho obnoxios

obnoxios efficiunt; et, qui phthifici ſunt habitûs, a ſubitis frigoris et caloris viciſſitudinibus, quae tunc temporis invaleſcunt, multum afficiuntur. Tuſſis autem, quacum conſociatur Catarrhus, talibus praecipue timenda eſt; quippe quae, pulmones ſaepius agitando, et irritando, tuberculorum formationi favere, et ſic Phthiſin gignere poſſit.

Aſthma.—Hoc, non niſi pari modo, et in talibus conſtitutionibus, ad morbum ſuſcitandum conferre videtur.

Pneumonia.—Haec quoque Phthiſin progenuiſſe fertur. Sed, niſi labes praegreſſa fuerit haereditaria, eam ad hoc efficiendum ſufficere vix apparet.

Corpora Calcaria.——Exempla nonnulla Phthiſeos ab auctoribus enarrantur, in quibus

bus adfuit materiae calcariae cum ſanguine vel muco rejectio frequens.

Hujuſmodi exempla ſe tria vidiſſe memorat CULLENUS celebris.

Et SAUVAGESIUS clarus, de Phthiſeos cauſis differens, concreta talia hiſce depingit verbis: " On connoit cette eſpece de la Phthiſie, aux " calculs rudes, ſecs, de groſſeur d'une lentille, " que le malade rend avec une toux ſeche, " auſſi bien qu'aux douleurs aigues qu'il ſent " dans la poitrine, aux qu'elles ſuccedent " quelque fois des crachats ſanguinolens *."

Virus exanthematicum, quale in Variola, Rubeola, &c. generatur, ad pulmones delatum, Phthiſin moviſſe fertur. Hanc autem Rubeolam ſaepius excipere notatur; et, quin a tuſſi ſingulari violenta, quacum fere ſemper ſemet conſociare rubeola obſervatur, et ab inflammatione pulmonum huic ſaepe ſuperveniente, Phthiſis poſſit oriri, ſaltem in iis qui ad

* Vid. *Sauv. Oeuv. Compl.* tom. 9. p. 73.

ad eandem proclives ſunt, vix ullam dubitationem recipere poſſe videtur.

Virus ſyphiliticum, in ſcriptis medicorum, inter Phthiſeos cauſas recenſetur. Quin hoc vero ſolum, etiam in ullis hominibus, morbum gignere poſſit, nonnihil anceps videtur.

Innumera enim ſe oſtendunt exempla lue ſub omni forma laborantium, in quibus pulmones affectos eſſe minime notatur. Morbum, in iis caſibus in quibus ſubſecutus eſt, mercurii effectibus qui lui debellandae adhibetur, et ſingulari aegrorum conſtitutioni, rectius tribui poſſe veriſimile videtur. Et, quin hujuſmodi remedium, ob irritationem quam corpori infert, et debilitatem quam conſtanter progignit, iis, qui ad Phthiſin proclives ſunt, inimiciſſimum ſit, vel etiam hunc morbum lethalem in iis movere valeat, vix eſt cur dubitemus.

Poſiturae

Pofiturae Corporis.—Hae, quibus uti folent fartores, futores, &c. thoracem conftringendo, corpori toti, pulmonibus praecipue vero, multum nocere poffunt.

Fafciae, &c.—Ab iis quae jam dicta funt, quanta mala a thorace male conformato provenire poffint, quantumque noceat peffimus ifte mos pectus et abdomen arcte conftringendi, quo uti folent mulierculae, ut junceae videantur, fatis intelligetur.

Contra eum olim invehebantur, et adhuc rite invehuntur medici omnes. Praecipue autem ab eo abftinere monentur, quae labe ferofulofa laborant; in iis enim, ab hoc more inepto talis corpori inferri periclitatur injuria, qualis, multis malis, immo Phthifi ipfi januam aperire poteft.

Tubercula.—Inter varias Phthifeos caufas frequentior nulla recenfetur, quam tubercula.

bercula. Cadaveribus eorum qui Phthiſi ſuccubuerunt inciſis, tumores plures, glandulas induratas referentes, diverſae magnitudinis, per varias pulmonum partes diſperſi, conſpiciuntur. Inciſione facta, albidi, cartilaginoſi, et textura molles eſſe reperiuntur.

In maturioribus, foramina parva, quaſi acicularum puncturis effecta deteguntur, in cava parva, quae pus continent, definentia. In ima quoque horum parte foramen aliud apparet; quo inſpecto, minores adhuc notantur cavitates, quae, preſſura illis adhibita, pure madent. Tubercula minora, nec cavitatem ullam habere, nec pus continere videntur.

Tumores hi aliquamdiu inertes manent; tandem vero inflammatione corripiuntur, et in abſceſſus, ſeu vomicas convertuntur. Hae denique rumpuntur, unde oritur ulcus, et expectoratio purulenta ſuppeditatur. Ulcera haec, pus malae indolis plerumque effundunt; et acrimonia inſigni, ut videtur, praedi-

ta, remediis cedere recusant. Sed contra, latius latiusque serpentia, partes depascunt vicinas, et tandem ad mortem confectum perducunt aegrum.

DEFINITIO MORBI.

" Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, " febre hectica, et plerumque expectoratione " purulenta *."

HISTORIA MORBI.

Tempore verno, vel finem autumni versus, ingruit hic morbus; et homines intra annum decimum quintum, et trigesimum quintum maxime tentat. In duo stadia dividi potest; quorum

* Vid. CULLEN. Synops. Nosolog. *tom. secund.*

quorum prius incipientem, alterum confirmatam complectitur Phthifin.

Stadium prius, quod et inflammatorium dicitur, incipit a tuſſi ſicca, initio leni, cum moleſtiae in pectore ſenſu, et dolore in quadam thoracis parte; hic in latere ſiniſtro ad coſtam quintam vel ſextam praecipue ſentitur. Nonnunquam de dolore ſub ſterno, qui tuſſiendo praeſertim intenditur, conqueritur aeger. Dyſpnoea adeſt, quae corporis exercitatione, praecipue ſi valida fuerit, multum augetur. Titillatio in faucibus et ad glottidem percipitur. Hac excitatur tuſſis, et pauxillum ſanguinis floridi, ſaepe ſpumoſi, praegreſſo ſenſu ſalſitudinis in ore, ejicitur; et non raro, dum maxime urget tuſſis, accedit vomendi cupiditas, vel vomitus ipſe.

Nonnunquam evenit, ut nullum praeter tuſſim ſymptoma, in longum tempus moleſtum ſit. Hoc vero pro effectu catarrhi, vix gravi, ab aegro negligitur. Frigoris applicatione,

plicatione, vel aliis caufis faepius renovata tuffis gravior evadit; et aegrum decumbentem, et fruftra fomnum invocantem, fumma moleftia vexat. Tunc quoque faevit dyfpnoea; et pulfus, celer, parvus, debilis, nonnunquam plenus, et duriufculus evadit. Hac rerum mutatione facta, aeger, amici necnon territi, ab arte Hippocratica opem petunt; quae, ferius accerfita, nihil levationis promittere, nedum afferre poteft.

Morbus, ftadio accedente fecundo, feu fuppuratorio, ingravefcit. Tuffis, initio ficca, humida nunc evadit, materiam primum vifcidam, albidam, vel fubflavam rejiciens. Materia denuo coloris fubviridis fit vel fufci; inter digitos facile teritur, fœtida redditur, et puris malae plerumque indolis fpeciem prae fe fert.

Nunc evidentius, praecipue fub vefperem, defignatur febris hectica. Proftratis viribus, languefcit aeger, et marcefcit. Functiones omnes perturbantur. Alvus fere aftricta effe notatur.

Rubor

Rubor circumſcriptus inſignis in genis ſe oſtendit; rubeſcunt volae manuum et ardeſcunt, et magna anxietate opprimi videtur aeger. Symptomata omnia ad noctem mediam uſque increſcunt, cum, circa caput, collum, et partes ſuperiores erumpente ſudore, haec ad horam primam vel ſecundam matutinam remiſſionem ſubeunt, et ſe nonnihil levatum eſſe ſentit aeger.

In tempus breve vero ei hiſce ſolatiis frui conceditur. Ad horam quintam vel ſextam veſpertinam, ‘ acceſſio enim meridiana, parum ‘ plerumque notabilis eſt,’ ingraveſcit febris; noctem verſus multum adaugetur, et pulſu parvo, celeri ſtipatur. Oriuntur quoque ſudores veſpertini, et urina, quae per totum morbi decurſum ſolito rubrior fuit, ſedimentum furfuraceo lateritium deponit. Sudoribus noctu adauctis, et accedente diarrhoea colliquativa, cito vires convelluntur aegroto. Oculi intra orbitas ſe retrahentes, margaritas colore referunt.

runt. Fluunt crines. Odoris insignis fœtor nunc incipit sentiri. Facies Hippocratica, vox rauca, ungues extenuatis digitis adunci, pedum et manuum oedemata, pustulae aquosae in variis corporis partibus, aphthae fauces et linguam deturpantes, et insomnia turbata, aegrum ad ultima vitae stadia jam vergere, nimis plane ostendunt. Sputum quod antehac copiose expectoratum fuit, aeger, umbram hominis tantum reddens, nunc vix, vel ne vix quidem, rejicere potest; et ejus suppressione maxime torquetur. Delirium nunc superveniens, paucos dies, vel etiam horas abesse, quin dissolvatur corpus, testatur. Tandem, porrecto telo crudelis instat mors; aegrumque, nuper forsitan meliora expectantem fata, saeva corripiens manu, vitam, et spem omnem, ei uno ictu extinguit.

Notatu dignum est, quod in foeminis uterum gerentibus, symptomata phthisica recedere et levari videntur; prole autem in lucem

edita,

edita, rurſus invadit Phthiſis, et cita morte perit miſeranda mater.

Mania, in nonnullis exemplis, morbum relevaſſe, vel etiam omnino amoviſſe fertur; in aliis autem, hac decedente, ſymptomata omnia Phthiſeos renovata ſunt, et aegrum ante diem ſuſtulerunt.

RATIO SYMPTOMATUM.

Tuſſis ſicca, quae primum fere inter ſymptomata, quae hunc morbum deſignant, obſervatur, a tuberculorum formatione, et irritatione ortum ducere videtur; et, frigore applicato, ſaepe adaugetur.

Dyſpnoea ab actione quadam inſolita pulmonibus illata, dum formantur tubercula, et a conjeſtione fluidorum in pulmonibus facta, et ab obſtructionibus eorundem pendere poteſt.

Dolor

Dolor in pectore ab iisdem causis provenire videtur.

Sanguinis sputum a ruptura vasorum maxime oritur.

Corporis debilitas et emaciatio ab obstructionibus pulmonum, et prava cibi assimilatione deduci possunt; et sudoribus qui accedunt, multum adaugentur. Obstructiones quoque glandularum mesenterii, quae in tabidis locum habere memorantur, ad hoc haud dubie nonnihil conferunt.

Expectoratio purulenta a vomicarum ruptura, et ulceris formatione profluit; et si sanguine tincta fuerit materia ejecta, vasa quaedam erosa esse argumento est.

Febris Hectica.—Hanc febrem, semper ab absorptione puris, ex ulcere vel abscessu, in aliqua corporis parte pendere nonnulli putaverunt medici. Quin nonnullis in exemplis, ex puris in quadam corporis parte formatio-

ne

ne haec oriatur, non eſt dubitandum. Sed rem ita ſe conſtanter habere, minime patet.

Febrem enim veram hecticam, cum diabete ſemet conjungere, in praelectionibus ſuis docet GREGORIUS eruditus. Et ei quoque aſſentitur clariſſimus HOME*. In hoc morbo ſuppuratio minime ſuſpicari poteſt. Praeterea, febris hectica, quae Phthiſin comitari ſolet, in ſtadio primo, antequam pus formari videtur, invadere notatur.

Ex his igitur, iſtam febrem alias quam puris abſorptionem ſolam cauſas agnoſcere, concludere licet; et eam in Phthiſi, irritationi magnae a tuberculis factae, quae vel inflammantur, vel ſuppurantur, ex magna parte tribuendam eſſe, non ſine ratione graviſſima poteſt judicari.

Sudores a debilitate et relaxatione ortum ducunt; ſanguis enim ob eas, ad extremitates inferiores, languidiore vehitur curſu, dum in

* Vid. Princip. Med.

partes ſuperiores ſatis adhuc, vel plus juſto etiam impellitur.

Diarrhoeam quoque cum debilitate multum nexûs habere, ex hoc cogi poſſe videtur, quod per ultima morbi ſtadia ingruere fere notatur. Phthiſi ad extrema jam progrediente, exacerbationes febriles rariores occurrunt; ſudores et ſputa fere ſupprimuntur; et fluidis ob debilitatem inſignem introrſum repulſis, materia nociva, quae antehac, ſudore erumpente, è corpore eliminari ſolebat, ad inteſtina dirigitur, et diarrhoeam excitat.

Phthiſeos progreſſum, foeminis uterum gerentibus, ad partum uſque retardari, ſupra dictum eſt.

Dum mulier gravida eſt, ut magna fluidorum copia, quò bene nutriatur foetus, ad uterum dirigatur, Provida Natura juſſit. Hinc, a pulmonibus avertitur ſanguinis curſus; congeſtiones tolluntur, vel ſaltem minuuntur, et mala ab iis proficiſcentia aliquamdiu depelli videntur.

videntur. Prole autem in lucem ſuſcepta, fluidorum impetus ad uterum brevi ceſſat. Fluidis ad pulmones iterum directis, ſymptomata phthiſica redeunt, et matrem miſerandam ad mortem tandem perducunt.

DIAGNOSIS.

Phaenomenis, quae in phthiſi ſe oſtendunt, perſpectis, Catarrhus ſolus morbus, qui eam tantum ſimilitudine refert, ut cum ea confundi poſſit, eſſe reperietur. Inter hos morbos tamen, multis in exemplis, diſcrimina ſequentia ad juſtam diagnoſin inſtituendam nos perducere poſſunt. Imprimis, ad habitum corporis, et alias cauſas praediſponentes reſpicere, et de morbis quibus aeger, vel familia ejus proni ſint, ſe certiorem facere debet medicus.

Praeterea, tuſſis phthiſica ſicca eſt, et nullo frigore applicato ſaepe redit.

Catarrhus

Catarrhus vero, tuſſi plus minus humida, ab initio uſque ſtipatur, et eum, gravedo, coryza, et infarctûs in pectore ſenſus, praecedere ſolent. Mitis quoque fere eſt hic morbus, et remediis facile cedit. Praecipue autem in diagnoſi inſtituenda, notatu digna eſt debilitas inſignis, quae phthiſin ab ingreſſu etiam nunquam non comitatur; in provectioribus morbi ſtadiis, nonnihil auxilii forſitan peti poteſt a materiae expectoratae colore vel conditione. Quae vero hinc concluduntur, ea admodum incerta ſunt. Hic vero, emaciatio corporis ſingularis, halitus inſignis foetor, et febris hectica, medicum de re ambigere omnino non patiuntur.

PROGNOSIS.

In pleriſque exemplis, infauſtum finem habet hic morbus; et in junioribus funeſtior

quam

quam in ſenioribus eſſe obſervatur. Phthiſis a tuberculis oriens omnium periculoſiſſima eſt. Et ſi febris ſudoribus copioſis, et inſigni corporis emaciatione ſtipata urget; ſi, dum ſputa omnino ſupprimuntur, vel parca et foetida ſolum redduntur, diarrhoea ſupervenit colliquativa, et delirium acceſſit; tunc quidem, omne timendum eſt, nec ulla omnino ſanationis ſpes ſupereſt.

RATIO MEDENDI.

Huic morbo autem medendi, tria ſunt conſilia;

Primo, Cauſas excitantes tollere.

Secundo, Tuberculorum inflammationi obviam ire, et eadem reſolvere conari.

Tertio, Symptomata maxime urgentia lenire.

Cum

Cum caufae variae, quae morbum excitant, jam enumeratae fint, ut eas hic loci recenfeam, omnino fuperfluum eft; nec ut remedia quae fingulae poftulant, fpeciatim proponam, neceffe effe videtur. Omnia enim eas fpectantia per ea, quae in paginis fequentibus funt memoranda, fatis illuftrabuntur.

Quod ad fecundum attinet; uberculorum inflammatio praecavetur, et eorum refolutio promovetur fanguinis miffionibus, irritatione omni vitanda; et quantum diaetam fpectat, victu antiphlogiftico utendo. Ad idem propofitum quoque tendunt, quaecunque fluida a pulmonibus fuperficiem verfus avertere poffunt.

Detractio fanguinis, in inflammatione tuberculorum minuenda, a nonnullis valde laudatur; et quidem magnum commodum polliceri videtur. Sed, ob debilitatem quae Phthifin femper comitatur, ut in ea inftituenda, quam cauti fimus, apprime neceffarium eft.

Nec

Nec, nisi dolor pectoris, dyspnoea, et tussis saeviunt, et pulsus arteriarum pleni, et calor magnus hoc postulant, ad tale remedium confugere debemus.

Irritatio omnis vitanda est, praecipue ea quae sanguinis ad pulmones cursum promovet, ut cantus, exercitatio vehemens, &c.

Alvi astrictio, laxantium idoneorum vel clysmatum mitium ope, sedulo praecaveri debet. Animus quoque aegri, quantum fieri potest, hilarandus est. Aeger, blando, et concoctu facili cibo uti debet. Materia media, ut loquuntur medici, tabescentibus maxime idonea est. Farinacea vegetabilia, ova sorbilia, et lac, satis nutrimenti praebent, nec proclivitate ad inflammationem gignendam nocent; lac diversorum animalium, pro aegri habitu, et vario rerum statu, praecipi solet, vaccarum scilicet, caprarum et asinarum.

Lac caprarum et vaccarum, quod multum nutrimenti supplet, prioribus magis convenit

stadiis,

ſtadiis, quando ventriculus virium ſatis poſſidet, ut hoc bene concoquere poſſit. Nonnunquam evenit, ut lac vaccinum ventriculo minime bene ſedeat, quod è rejectione materiae coagulatae videre licet. Hoc malum aliquatenus praevenitur, abſorbentia lacti addendo, quae ejus proclivitatem ad acorem corrigere poſſunt; vel, cum lac purum ventriculum male afficit, ſerum ejus, et lac ebutyratum, quae ſatis alunt, et corpus refrigerant, et alvum leniter ſolutam tenent, commode ſumi poſſunt. In talibus exemplis quoque, lac aſinarum multum celebratur.

Potulenta varia aegro parari poſſunt. Lac, ex aqua probe dilutum, vel ebutyratum, vel ſerum ejus potum idoneum praebet. Vel in horum vicem ſubſtitui poteſt, ex decocto hordeaceo, vel furfuraceo, pauxillo ſacchari, et limonum ſucci, pro aegri guſtu, adjecto, potio grata confecta. Fructus varii aceſcentes, modo maturi ſint, apprime utiles ſunt; quippe

qui

qui ſitim compeſcunt, calorem minuunt, et alvum leniter ſolutam tenent.

Morbo provectiore, quando debilitas praecipue urget, pauxillum carnis vitulorum, vel pullorum gallinaceorum, vel juſculi tenuis, ex his confecti, aegro concedere licet. Vel è piſcibus, ut conchyliis, oſtreis, cancris, alimentum ei parari poteſt. Et modica portio vini, vel cereviſiae Londinenſis bene lupulatae, aegro, prout haec, vel illud, ei magis placuerit, minime neganda.

Medicamenta multa, vel tuberculorum reſolutionem promovendi, vel ulcera in pulmonibus ſanandi conſilio, propoſuerunt medici. Ex his, praecipua ſunt, Mercurius, Myrrha, Cortex Peruvianus, et Cicuta.

Ab ingenioſo GILCHRIST in hoc morbo multum laudantur pilulae mercuriales. Alii vero, experientia docti, mercurii uſum parum probant. Ob vim ſtimulatricem, eum phthiſicis inimicum fore, veriſimile videtur. Et

eum, multis in exemplis, in quibus ipſe praeſcriptum vidit, non ſolum non profuiſſe, ſed plane nocuiſſe, teſtatur CULLENUS celeberrimus.

Myrrha, in Phthiſi, a nonnullis multum laudata fuit. Doſibus, granum dimidium continentibus, bis vel ter indies detur. Effectus ejus tamen, votis noſtris non ſemper reſpondent.

Cortex Peruvianus in hoc morbo ſaepe praecipi ſolet. Et, ſi vires ejus corroborantes reſpiceret, eum, ad debilitatem, quae in Phthiſi ſe oſtendit, tollendam, et febrem arcendam, multum facere poſſe, conjiceret aliquis. Quamvis vero, nonnullis in exemplis, ſymptomata, in tempus, leniora reddere videtur, brevi tamen, redit morbus, et aegrum tandem conſumit.

Cicutam tumores ſcrofuloſos reſolvendi, et ulcera mali moris ſanandi cauſa, externe applicatam, cum beneficio ſaepe praecipi, docet experientia. Hinc, in Phthiſi, ab ejus uſu

aliquid

aliquid boni ſaltem ſperare licet. Caute admodum ad eam confugi debet; ab ejus uſu imprudente enim magna mala provenire poſſunt.

Ad reſolvenda vero tubercula, praecipue conferre videntur ea, quae, fluida ſuperficiem verſus a pulmonibus avertunt. Hoc conſilio praeſcribi ſolent medicamenta vomitoria. Quo magnis doſibus adminiſtrentur, minime ſuadendum. Sed, ſi ita ſumantur, ut nauſeam ſolam, vel vomitionem, in unam vel alteram vicem, ciere poſſint, magnum commodum adferre ſaepe invenientur.

Emetica mitiora, ut ipecacuanha, &c. huic conſilio optime reſpondent. Haec medicamenta hoc commodi quoque habent, quod materiam acidam, indigeſtam, è ventriculo expellunt, et inſuper, corpus totum leniter agitando, muco vel pure pulmones exonerant, et ſic dypſnoeam, et tuſſim, relevare poſſunt.

Quo

Quo maturius ad emetica decurritur, eo plus proderunt.

Subucula lanea, Phthificis maximo erit beneficio. Corpus enim leni calore fovet; impetum fluidorum conſtantem ad cutem ſuſtinet, ſudorem erumpentem abſorbet, nec madere, nec frigeſcere, ut lintea, ſentitur Et ut tibialibus laneis utantur, ſemper ſuaderi debent tabidi.

Exercitatio variorum generum phthificis magna promittit commoda.

Ambulatio et equitatio multum in hoc morbo valent. Ne nimis vehementes ſint, vel juſto diuturniores adhibenda eſt cura. Equitationem in omnibus morbi ſtadiis remedium praeſtantiſſimum eſſe aſſerit Sydenhamus. Tantam vero in ea fiduciam collocandam eſſe, praxis hodierna minime teſtatur. Haec ſub initium morbi praecipue utilis erit; et horis matutinis, cum febris nonnihil remittit, circumſcribi debet. Equitationi vero,

ro, quando ad haemoptyſin ſuſpicienda eſt proclivitas, longe praeſtabit geſtatio in curru, ſed praecipue navigatio. Hanc ultimam in Phthiſi optimos edidiſſe effectus, è ſcriptis medicorum patet. Ab aëris marini puritate, et vaporibus ſalinis inhalatis, non parvum oriri commodum, a nonnullis cenſetur. Et certo, ſi aëris marini puritas, vel ulla alia virtus, ad vitia pulmonum amovenda conferre poſſit, ab eo bonum oriturum ſperare licet, quod, aër marinus, ad reſpirationis organa, rectà fere, et conſtanter applicari queat; et hoc modo, haud dubie, commodo fruitur, quod vix ullis aliis remediis contingere poteſt. Praeterea, ob nauſeam et vomitionem, quas movere ſolet, multum juvare reperietur navigatio.

Corpus, ope ſellae penſilis, frequenter agitare, intra paucos annos proxime elapſos, multum laudatum fuit *. Et exempla memoriae produntur, in quibus phthiſicis, magnum attuliſſe

* *Vid.* SMITH *on Swinging.*

attuliſſe commodum fertur. Ideoque, ut ad hanc exercitationem decurrant, iis procul dubio ſuaderi debet.

A coeli mutatione, in Phthiſi tractanda, maxima ſpes, vel morbum ex toto depellendi, ſaltemve levandi, deduci poteſt. Hoc praeſtantiſſimum eſſe remedium, Natura ipſa docet. Morbus enim, aeſtate labente, miteſcere notatur. Hinc, a plaga frigida et procelloſa, ad regionem temperate calidam, et ſerenam itinere facto, aeger, aeſtate quaſi perpetua, placidaque, per plures annos frui poteſt. Et hoc conſilio, ad Galliam Meridionalem, Luſitaniam, Hiſpaniam, Italiam, vel inſulam Madeiram, phthiſici migrare ſolent, et, ſi ad hoc remedium tempeſtive confugiatur, ſaepe cum feliciſſimo eventu.

Veſicatoria, Fonticuli, et Setacea in hoc morbo, ſaepe praeſcribi ſolent.

Veſicatoria procul dubio ad dolorem pectoris levandum apprime accommodantur, et in

uſum

uſum revocari poſſunt, cum, varias ob cauſas, ſanguinem mittere parum tutum foret.

Alia vero, tametſi nonnunquam proſunt, effectibus perquam incerta ſunt; et nonnullis aegris, tantum moleſtiae, et cruciatus inferre ſolent, ut haudquaquam tolerari queunt. Ideoque, in pleriſque exemplis, ea omittere forſan praeſtabit.

Ad conſilium ultimum, demum perventum eſt; nempe, Symptomata maxime urgentia lenire.

In hoc explendo, in ſudores, diarrhoeam et tuſſim, convertenda eſt attentio noſtra.

Ad ſudores compeſcendos faciunt, potus refrigerantes et aceſcentes, praecipue ii, quibus aliquid acidi vitriolici adjunctum eſt. Aër quoque frigidulus, caute ad aegrum aſpirare permiſſus, prodeſſe poteſt.

Diarrhoeae levandae praecipiuntur aſtringentia; ut gummi Kino, extractum catechu, aquae ferro imbutae. Opium quoque, huic

conſilio

consilio apprime inservit. Hic etiam, ob vires antisepticas, fructus acescentes, valde utiles sunt; caute tamen administrari debent.

Praestantissimum vero adversus tussim praesidium est opium, si satis liberaliter adhibeatur. Tussicula ab eo consopitur, et aeger gravissima molestia aliquamdiu liberatur. Ideo, hinc auxilium saepe petatur, opus est; " et profecto (ut nitidissimis Gregorii verbis " utar), in omnibus morbis, quum jam ad ex- " trema ventum est, et instantis mortis indi- " cia spem nullam curationis relinquunt, " aliquid adhuc solerti medico faciendum " supereſt; erit enim quoddam, in tali miser- " rimo et desperato statu, lenire mala quae " summovere nequeat, et εὐθανασιαν saltem " moribundo moliri, siquidem vitam ejus " neque conservare possit, neque amplius " producere*."

* Vid. Conspect. Med. Theoret.

F I N I S.